

ad Ptolemaum. Vt debant pauca ingenia adeo ce-  
leriter arripere geometricen, ut statim mirificas  
& divinas Ptolemai demonstrationes adsequi  
possent. Et præfertim ante hanc ætatem cum  
græci codices Ptolemai non essent in manibus  
hominum, quid intelligi poterat ex Arabicis  
versionibus. Ideo probanda est voluntas illorum,  
qui epitomas excerpterunt, quas qui recte di-  
scunt, tamen magnum opera precium faciunt.  
Hinc enim discunt uti planetarum tabulis, ac  
supputare motus. Hæc exercitia provehunt inge-  
niosos, & invitant ad querendos fontes. Deniq;  
cum Purbacchij summa fuerit eruditio & singu-  
lare in docendo consilium, propter autoritatem  
tantius viri retineamus in scholis hunc libellum  
Theoricarum, & eum illustremus, ac studiosis  
commendemus. Aiunt Virgilium dixisse, non  
minus difficile esse ab Homero versum apie ac  
venuste transferre in alias materias, quam levi-  
fulmen extorquere, Ita profecto arbitror non ex-  
iguam laudem esse, tam dextre complecti sum-  
mas prolixarum disputationum Ptolemai. Et  
Purbacchius hoc opusculum iam senex paulo an-  
te mortem conscripsit, cum diu ante molitus es-  
set alteram illam longiorem Epitomen, quam sic  
vocant. Potestq; indicari experiundo, an tam  
prolixæ disputationes tam dextre in summam  
eogi potuerint ab alio mediocre artifice. Audio  
fabre-